

immo certissime tenendum, quando res aliter succedat, praeter expectationem nostram et omnium christianorum. Recedant hoc tempore preces, minae et alia que rectum animi judicium perturbare consuevere; habeatur ratio tantummodo ad honorem et reverentiam Dei et istius sanctissimae sedis, sicuti officio vestro convenit et præsentia tempora summi pere efflagitant: hoc nos vehementissime cupimus; hoc summis precibus expectamus. Qui ut in ulla parte nobis ipsis et officio nostro defuisse videamur, quicquid virium statui nostro a divina bonitate concessum est, fortunas omnes et vitam denique nostram reverendissimis dominationibus vestris libere offerimus ad propugnationem ecclesiasticae libertatis, conservationemque illius qui legitime et canonice fuerit a reverendissimis domin. vestris ad apostolicum solium erectus et in Christi vicarium subrogatus.

49. Data die 5 septembbris 1503.

Exemplum litterarum illustrissimi Domini Venetiarum ad suum oratorem in curia, de congratulatione Pii Tertii.

Summis votis et precibus exoptantibus nobis et pro virili nostro procurantibus, ut his angustiis et difficillimis rerum ac temporum conditionibus is pastor et Christi vicarius nobis et ecclesiae Dei daretur, qui christianam rem publicam nutantem et poene collapsam erigeret; qui sublatis quibuscumque christianorum principum discordiis, ad christianam propugnationem et acerrime consurgeret, quique gregis dominici commodo et animarum saluti pie et salubriter consuleret, ecce litteris vestris felicissimus nuntius allatus est, reverendissimum dominum cardinalem senensem rite, legitime et canonice, unanimi omnium voto, ad summum apostolatus fastigium fuisse provectum. Fatemur equidem tale fuisse gaudium a nobis susceptum tam fausto et optatissimo nuntio, ut illud sufficienter exprimere nequeamus. Complura etenim simul concurrunt ad cumulandam lætitiam nostram, quoniam præsertim nihil omnino excellentius, aut omni ex parte perfectius in ejusmodi electione, quam veluti donum præcipuum a divina providentia christianis suis concessum existimamus, desiderari possit. Gavisi igitur inexplicabiliter sumus cum universo senatu, et cum primum acceleratae illæ et brevissimæ litteræ nobis redditæ sunt, gaudii ac consolationis nostræ, et in hac urbe et in universa nostra terrestri et marittima ditione manifesta signa edidimus, qualia magnitudini gaudii nostri convenire arbitrati sumus. Habitum vero subsequen-

tibus et particularibus litteris vestris, et intellecto pientissimi pontificis Pio nomine Pium avunculum referentis, decrevimus quamprimum ad vos scribere præsentes litteras nostras, volumusque et mandamus vobis, ut quanto celerius poteritis, adire beatissimum conspectum pontificie sanctitatis, et, post pedum oscula, postquam explicitum et optime declaratum vehemens gaudium nostrum, sanctitati sue gratulabimini verbis reverentibus et apprime affectuosis de illius bene merita sublimatione ad pontificatum, quæ nobis nostroque senatu gravior, jocundior aut optabilior esse non potuisset, si quidem sperramus felici tempore Beatitudinis sue omnes illos uberrimos fructus christianæ religioni proventuros, qui expeti a quoque et desiderari possint. Eritis in hac parte exprimendi gaudii nostri diligentissimus et facundissimus, ut veritatem proprius accedatis.

Data in nostro ducali palatio, die 27 septembbris 1503.

A tergo: Nobili et sapienti viro,

ANTONIO JUSTINIANO
doctori, oratori nostro in curia. 50

Infrascripti sunt reverendissimi domini cardinalis sanctæ romanæ Ecclesiae, qui, defuneto domino Alexandro papa VI, convenerunt in conclavi die 16 septembbris 1503, ut eligant pontificem maximum successorem. Et annotati sunt juxta ordinem quo processerunt, et gradus eorum, et ætas eorum, et adjecti sunt etiam absentes in fine, ut præsentes.

Episcopi.

Oliverius Carapha, episcopus sabinensis, cardinalis neapolitanus, tituli Sancti Eusebii, et prior collegii cardinalium, annorum	70
Julianus de Ruvere, episcopus hostiensis, summus penitentiarius, tituli Sancti Petri ad Vincula, genuensis de Savona,	64
Georgius, episcopus portuensis, cardinalis ulyxponensis et tituli Sancti Laurentii in Lucina, de Lisboa,	84
Hieronymus, episcopus prænestinus, cardinalis recanatensis, tituli Sancti Apollinaris, genuensis,	54
Laurentius Cibo, nepos olim Innocentii, episcopus albanensis, tituli Sancti Marci, archiepiscopus beneventanus, genuensis,	48
Antonius, episcopus tusculanus, tituli Sanctæ Præxedis, genuensis,	52